

ra a falsis, certa ab incertis, perspicua ab obscuris distinguam. Ergo in dubiis utriusque partis opinionem, in verisimilibus quod magis ad verum accedere videbitur, exponam: nec tantum valebit Philosophi alicujus auctoritas ut sine legitima ratione vincat; non enim in hominem aut in hominis figmenta, sed in solidam probatamque veritatem jurare philosophum decet; nec illa placere debet philosophia, quæ nervis ac corpore destituta, fictitiis ad arbitrium hypothesebus tota fere nititur: talis philosophia, quantumvis elegans, venusta duntaxat fabula potest appellari. Ego autem ad veritatem tutiori via assequendam, hunc in omnibus Philosophiæ partibus ordinem, quantum fieri potest, constantiter persequar, ut nempe res singulæ perpetuo & nunquam interrupto nexu jungantur, atque una ex alia pendeat, omnesque ex certissimis principiis deducantur. Perpetuus hic rerum ordo veritatis vestigia quasi pedetentim demonstrat, ipsamque etiam intelligendi facilitatem conciliat, ita ut tardiora quoque ingenia res difficiliore possint percipere, & naturæ suæ, ut ita dicam, malignitatem vincere. Hæc generatim dicta sint de quatuor Philosophiæ partibus; jam superest ut de Logica aliquid specialiter præmittam, de aliis singulis Philosophiæ partibus convenienti loco sigillatim dicturus.

Pleræque institutiones Logicæ scholasticam formam omnino prætermittunt, quod quidem antea de singulis philosophiæ partibus monueram; institutiones aliæ in scholarum cavillationibus longiores sunt. Eximiis præceptis abundat clarissimi Vvolffii Logica Geometrarum more accuratissime pertractata; at frequentioribus repetitionibus defatigantur atque opprimuntur impatientes adolescentum animi. Quia tamen ac-